

still greater, if there be many of these Points, that the Error lights not upon such a single Article; *as in the Third Proposition.*

---

IV. *Part of a Letter from Dr. Hotton to Dr. Tancred Robinson, Concerning the late Swammerdams Treatise de Apibus; the Ahmella Ceylonensibus, and the Faba Sti. Ignatii.*

**I**T A est, damnabat sua studia ὁ μανναεῖτης Swammerdamius noster; erat enim Sectæ Antonia Bourignon adiditus: id verò doleo non produisse Amici hujus nostri *Commentarium de Apibus*, omnium quæ unquam elaboravit Castigatissimum; hoc opus vernaculo Sermone scriptum cum Iconibus quamplurimis eò spectantibus plus semel apud eum vidisse me satis memini; at ubi jam latitat ignoro prorsus.

Nuperis Annis magnam celebritatem nacta est ob vim Lithontripticam quæ ipsi ascribitur, Herba quædam à *Ceylonensibus Ahmella* dicta. An jam uspiam exstet nescio; sed eam colui, cum versarer in Præfecturâ *Horti Amstelod.* Flores fundit in summis caulibus perfimiles *Chrysanthemo Curassav. alato caule flo. Aurantiis Par. Bat.* Semen ei bidens, caules quadrati, fol. Lamii vel Urticæ (quæ subacria sunt) conjugatis amicti; undè manifestè liquet ad *Cannabinæ* Genus, quod bidens vocat *Cæ/alpinus*, eumque sequutus *Tournefortius*, spectare; neque fortè inconcinne nuncupari posse *Cannabinam aut bidentem Urticæfoliam Indicam Lithontripticam.*

Novissimè quoque increbuit usus *Faba*, quam vocant, *di Sto. Ignatio*; dicitur & *Higosur* & *Faba di St. Nicolas* & *de Cava longa.* Semen est amarissimum, quod nullam  
Fabæ

Fabæ præ se fert similitudinem, ut ex ipso semine adjecto videbis. Ad movendos sudores & debellandos Febres præcipuum creditur ; & Diarrhœæ, Dysentericæ, colicis doloribus, motibus convulsivis, ipsique epilepsiæ mederi, & externè ad motum scabiei ; celebratur cum primis & ejus Virtus Alexipharmaca. Provenit in *Philippinis* quas vocant, iisque vicinis *Insulis*. Cujus Generis stirps sit ignoratur ; id tantum didici ex *D. Rafaele de Roa*, Hispano viro egregio & erudito, qui in iis *Insulis* diu vixit, convolvulaceam esse Plantam Arboreas altissimas scandentem, fructumque ferre Mali Punici magnitudine, quo complura Semina reconduntur, ex quibus deciduis novæ Plantæ subnascuntur. Fortè erit ut ejus mentio fiat in *Historia Naturali Insularum Molucarum*, Opere grandi & insigni, quod ad Societatem nostram Indicam nuper misit ejus Auctor *Georgius Rumphius*. Hoc si aliquando publicetur (ut credibile est) materiam præbere poterit Quarto Volumini *Histor. General. Plantar. D. J. Rati.*

---